RERVM

AB ILLVSTRISSIMO PRINCIPE CHRISTOPHORO RADIVILO, BIRZARVM ET DVBINCORVM DVCE, PALATINO VILNENSI, EXERCITVVM MAGNI DVCAT. LITVANIÆ PRÆFECTO GENERALI, &c. PRÆCLARE GESTARVM EPITOME.

CONSCRIPTA
SVB EIVSDEM PRINCIPIS EXEQVIAS
A
SOLOMONE RYSINIO.

ACCESSIT
VARIORVM MONVMENTORVM
DECAS.
EODEM AVCTORE.

LVBECÆ AD CHRONVM,
IN OFFICINA PETRI BLASTI.
AN. DN. M. DC. XIV.

IN AQVILAM RADIVILIAM SVBINDE SESE PRÆCLARA SOBOLE REDINTEGRANTEM.



QVid nimium iactas radiantes India pennas
Alitis, ex busto quæ rediuiua venit?
Hoc tibi concedit mitis clementia cœli,
Et Phœbi indulgens donat habere calor.
Quin mage subiectam mirare triontibus oram,
Aspera quam multo frigore torret hyems?
Hic aquilas, aquilæ vitali lumine cassæ,
Restituunt patrio pignora grata solo.
Nonne renascentis cineres post fulget in orbe,
Ianus imago suæ Christophorusq; Aquilæ?

ILLVSTRISSIMIS
SACRI ROM. IMP.
PRINCIPIBVS
DN. IANVSSIO, ET DN. CHRISTOPHORO
RADZIVILIIS
FRATRIBVS GERM.
BIRZARVM ET DVBINCORVM
DVCIBVS IN LITVANIA, &c.
DÑIS CLEMENTISS.

QVÆ sub Exequias Illustrißimi Principis Parentis Vestri, omnium memoria dignißimi scripsi, ea, Principes Illustrißimi, vobis inscripta, publici iuris facere animus est. Non vt vulnus, quod cicatricem ducit, aperiam, aut memoriam Principis de vobis filijs, de nobis clientibus, de charis amicis, de tota deniq; patria optimè meriti, apud vos refricare velim: viget siquidem illa, vigebitq; perpetuo, cum apud vos, tum apud nos, tum verò apud patriam hisce perturbatis temporibus maximè: sed vt id etiam exteri, si fortè hæc nostra in manus ipsorum peruentura sunt, agnoscant, quod Patria, quod Liberi, quod Amici, quod deniq; clientes agnoscunt.

Agnoſcunt verò? imò ſe ſerò agnouiſſe, ex animo dolent. Ac dolor hic quidem, vel longinquitate temporis, vel certè dolentium mortibus, fortaſſe morietur: Ceterum apud patriam, prout tempora minantur, ſubinde recrudeſcet, atq; repullulabit. Quis eſt namq;, qui ægram conſiliis firmet? quis eſt, qui labaſcenti manum ſupponat? quis eſt, qui Libertatis oppreſſores excutiat? quis eſt, qui hoſtem trans Rubonem reprimat? quis eſt, qui parietes ad Boriſthenem fumigantes extinguat? niſi tu DEVS, *virum aliquem dederis, fuimus Troës! Verùm quò rapior? nonne hoc eſt dolorem refricare, atq; adeò augere? quod tamen negabam me facturum ab initio. Itaq; finio et ſileo. Vos intereà, Illuſtriſsimi Principes, viuite et regite felices: atq; per hanc regiam virtutum Parentis viam egregiè graſſamini. Vilnæ* IX. *Eid.* VITIL. *Anno* cIↃ. IↃC. IV.

Illuſtriß. Celſ. Veſtris

addictiſsimus

SOLOMO RYSINIVS.

EPITOME RERVM AB ILLVSTRISSIMO PRINCIPE CHRISTOPHORO RADIVILIO PRÆCLARE GESTARVM.

CHriſtophorus Radziuil Dux Birzarum & Dubincorum Palatinus Vilnenſis, Exercituum Magni Ducatus Lituaniæ Præfectus Generalis, Soleccenſis, Vrzendouienſis, Kokenhauſenſis &c. Capitaneus, natus Anno Domini M. D. XLVII. IX. Febr. Patre Ill.mo Principe Nicolao Radiuil Duce Birzarũ & Dubincorũ, Palatino Vilnenſi, Exercituumq; M. D. Litu. Præfecto Generali &c. Matre verò Illuſtri & Generoſa fœmina Catharina Iwinſcia: cum vix ex Ephebis exceſsiſſet, primum animi & ingenij militaris tyrocinium exhibuit in eo prælio, quod in campis Iwanenſibus ad Vlam flu. à patre ipſius contra Moſchos feliciſsime anno Dñi M. D. LXIV. XXVI. Ian: geſtum eſt. Quæ induſtria & ad rem bellicam indoles, poſtquam vnà cum ætate in ipſo adoleuiſſent, à Sigiſmundo Auguſto Rege Poloniæ Pocillatoria & Campiductoria dignitate Anno Dñi M. D. LXXI. ornatus eſt. Eius muneris non temerè à ſe ſuſcepti, cum ſæpè aliàs, tum maxime in expugnatione Kirempeſij, caſtri Liuonici, à Moſchis tormentis & militib. oppidò inſtructi, Anno Dñi M. D. LXXIX. XI. Feb. egregiam laudem adeptus eſt. Vnde Dorpatum exigua

 gua

gua manu militum profectus, Moscorum & Tattarorum coniunctas clausasq; in ciuitate Dorpatensi copias intrepide prouocauit, procurrentesq; extra mœnia fortiter profligauit, atq; rursus sese intra muros ciuitatis recipere coegit. Inde magna parte Liuoniæ e Moscorum manibus erepta, multisq; nobilioribus captiuis secum abductis, incolumis in Lituaniam rediјt. Mox eodem anno, cum Stephanus Rex Poloniæ expeditionem in Moschos adornaret, Princeps hic cum Lituanico milite præmissus, Polotiam amplissimam & populosissimam vrbem primus circumsedit. Hinc Sokoliam castrum munitissimum ad pertentandas hostium vires, quorum circiter sedecim millia propugnandæ Polotiæ causa duce Seremeto contendebant, cum duobus hominum millibus ablegatus, commissis aliquot velitationibus, magnam hostium manum prostrauit, non paucisq; captiuis correptis, ad Regē sub Polotia in castris commorantem reuersus est. Neq; verò ob tantas virtutes tamq; res bene & feliciter gestas, à summo Heröe, & militarium ingeniorum egregio censore Rege Stephano, indonatus abiuit. Verum pro duplici facinore, duplici quoq; honore affectus: collato scilicet in ipsum sigillo minori, siue Vicecancellariatu, vt vocant, Lituaniæ, & Castellanatu Trocensi. Non minori animo, nec minori fortuna anno sequenti ad Wielikolukos rem gessit. Siquidem plurimis Moschorum fusis fugatisq;, nonnullis etiam captis, atq; excursionibus præsidiariorum cohibitis, iter subsequentibus
Regijs

Regijs copijs muniuit. Iam verò Aн̄ M. D. LXXXI. Stephano Rege Plescouiæ oppugnationem moliente, cum mediocri manu militum intra fines Moschouiæ ad distinendum hostem præmissus, crebris prælijs diuersis in locis commissis, quam plurimos mortalium cecidit, non paucos ex præstantioribns cepit: deniq; multis villis, oppidis atq; ciuitatibus expugnatis direptisq;, & agro hostili ad CCC. M. P. igni ferroq; deuastato, Volgaq; siue Rha nobilissimo fl. superato, vbi nullum hactenus à milite Sarmatico vestigiū fuit impressum, Tyrannū ipsum Moscouiæ, terrorem quondam orbis Christiani, Staritiâ, vbi tum temporis cum XX. millib. Tattarorum delitescebat, expulit & in fugam coniecit. Postremò insigni præda & non exiguo captiuorum oneratus numero, paucissimis suorum amissis, redux ac victor ad Regem in castris sub Plescouia perdurantem peruenit. Secuta est deinde mors Illustrissimi Principis parentis illius: cui hic, quemadmodum in rerum præclare ab ipso gestarum gloria, ita in vtroq; munere successit. Nam & Palatinus Vilnensis & Exercituum supremus Dux ab eodem Rege Stephano, meritorum Principis in se & in Remp. facile memore, summo cum omniū applausu factus est. Ceterum Stephano Rege e viuis sublato, cum Proceres Regni Poloniæ & Magni Duc: Lituaniæ in diuersa studia diuersasq; sententias in eligendo nouo Rege traherentur, Princeps hic nullis partium illecebris ac pollicitationibus abductus, saluberrimis suis consilijs paci & incolumitati publicæ, diligenter studuit. Post anno

Dñi M. D. LXXXIX. Sigiſmundum III. Regem Poloniæ Reualiam in Eſtoniam ſecutus, nullis ſumptibus, nulliſq; laboribus pepercit, in omnibus ijs perficiendis, quæcunq; ad conſeruandam patriam, & ornandam atq; augendam Regiam dignitatem ſpectare videbãtur. Sed neq; ingraueſcẽte ætate, emarcuit in ipſo vigor ille militaris, & inuicta animi in propulſandis patriæ periculis magnitudo. Nam cum anno Dñi M.DC. bellum in Liuonia exarſiſſet, memor muneris ſui, & rerum à ſe feliciter adhuc geſtarum, nihil prætermiſit, quod ad reprimendum & eijciendum ex Liuonia hoſtem pertinebat. Primum enim nonnullis ex Præfectis militum, vna cum filio ſuo natu maiore Illuſtriſs. Principe IANVSSIO RADZIWIL præmiſsis, conatus hoſtiles vehementer retudit. Paulò verò poſt ipſemet cum aduolaſſet, infinitam hoſtium cateruam ad Kokenhauſiũ XXIV. Iun. Anno Dñi M.DCI. ſuperiorum temporũ fortuna vſus, proſtrauit & profligauit. Tandem præſtantiſs. Heros, hac quaſi Coronide, præclaris ſuis operibus impoſita, priuatorũ negotiorum mole vrgente, in Lituaniã retractus eſt. In qua non multo poſt exacto tẽpore, vitam feliciſsimè & honeſtiſsimè tranſactã, cum placidiſsima & beatiſsima morte, anno Dñi M.DC.III. XX. Nouembr. Loſoſinæ in tractu Slonymenſi commutauit.

V I X.

A.	LVI.
M.	IX.
D.	XI.

KIREMPESIVM.

DVm ferus oppreſſos populatur Moſca Liuones,
Et viduata feris ignibus arua premit.
Sanguine mortali rubuêre fluenta Rubonis:
Tunc dictus vero nomine Duna Rubo.
Torſit idem fatum Beccum, Naruamq́; ſonorum,
Concolor his etiam Gawia lentus erat.
Quocunq́; aſpiceres, lethum luctumq́; videres,
Flet genitrix ſobolem, fletq́; marita virum.
Nec tamen his duris ſatiata eſt ira Tyranni,
Permiſcet ſæuis impia facta dolis.
Quicquid erat reliquum, crudelem abſumere flammã
Imperat, et rabie paſcitur vſq́; ſua.
Jamq́; potens voti, Birzas accedere tentat,
Et ſuperare vndas Duna ſuperbe tuas.
Non tulit hunc hoſtis vltrà ſæuire furorem,
Raduilius, Litauûm Duxq́; decuſq́; ſoli.
Sed lectos juuenes fulgentibus implicat armis,
Et jubet admiſsis ſubdere calcar equis.
At cita turma Lucis prorumpit fulminis inſtar,
Et mittit letho corpora multa virûm.
Jmminet ipſe Heros, animis inuictus et armis:
Hos necat, aſt illos vincla ſubire jubet.
Mox reliqui fugiunt, et ſepta latentia quærunt;
Pars denſas ſyluas, pars fera luſtra petunt.
Certa manus fugiens intrat Kirmpeſia clauſtra,
Atq́; Arcis trepidans interiora ſubit.

B Caſtrum

Castrum erat ingenti, et præduro robore structum,
Ex viridi circum cespite murus erat.
Moscæ sulphureo Lituanos fulmine terrent,
Eÿcit et densos machina crebra globos.
Ast Lituana manus feruente celeusmate mota,
(Nil valli, et duri roboris obstat opus)
Accurrunt, scalas portantes atq; dolabras,
Et celeres subter feruida tela volant.
Mox ilex antiqua ruit, crebrâ icta securi,
Fortia portarum nil tabulata juuant.
Arx capitur, capitur Moscarum clara propago;
Cum senibus juvenes, cum Ducibusq; viri.
Ecce Palatini duo producuntur in auro,
Et gemmis, opulens præda futura Duci.
Tandem militibus tribuit Dux præmia lauta,
Et remeat patriæ lætus in arua suæ.

STARICIA.

QVid toties victe, et toties pulsate resistis,
Mosca ferox? latebras quærere jure potes.
Armis exutum te læta Liuonia vidit:
Vidit, et vltrices poscere visa Deos.
Fortia tergeminæ amisisti castra Polotæ:
Ad Soçolam periÿt flosq; decusq; virûm.
Deuastata vides, exustaq; Maxima-prata:
Abnegat imperium Vielscia terra tuum.

Non

Non te Staricij tutum, non flumina Volgæ,
Vix facere incolumem Candida-stagna valent.
Deseris vxores, et pignora cara relinquis,
Jngenti gazâ scrinia plena manent.
Non te consilium prudens, non cura senatus,
Non retinent Scythicæ millia multa manus.
Barbare siste pedem: te maximus horruit orbis:
Nunc fugis, et pateris terga inhonesta premi.
Quis te perdomuit? quis linquere castra coëgit?
Quis vitam in pedibus te posuisse jubet?
Scilicet in patrÿs insignis, et optimus armis
Radzuilius, Litaulûm Duxq; paterq; gregis.
Anné negas? nulla potes id ratione negare:
Testantur Gentis cantica nota tuæ.

REVALIA.

ECce Sigismundus Lachy laus inclyta regni,
En Ianus Thules pulcra corona suæ:
Conueniunt, cupiuntq; simul coniungere dextras,
Hic vbi Finnonüs Reuela gaudet aquis.
O quales voces audisses, gaudia quanta,
Dum ruit hic Nati, Patris in ille sinum!
Hic regno ascitus, Matris spes vnica quondam,
Sarmatiæ pulcrum Rex diadema gerit.
Jlle per innumeros casus sublimia tandem
Sceptra capit regni, Suedica terra, tui.

Sarmatico

Sarmatico Regi comitem se junxerat Heros
Raduilius, Litaui gloria magna soli.
O quales illi phaleræ! quis cultus equorum!
Quale decus juuenum! quale virûmq; fuit!
Non illis sese Sueci coniungere tentant,
Semihomines illos, semideosq; rati.
Ipse pater Ianus stupuit, stupuêre Dynastæ,
Aulæ splendorem Dux Radiuile tuæ.
Tantus honos illis armorum, gloria tanta
Martigeni vultus, Martigenæq; manus.
Regibus at postquam visum est discedere, Ianus
Ampla Finnonias lintre secabat aquas.
Arua Sigismundus Litauûm regressus adibat,
Officio Regem concomitante Ducis.

KOKENHAVSIVM.

QVæ sitis ista tuum pectus pertentat habendi,
Carole, Nericijs non satiate bonis?
Te Patruum voluit moderamina fida tenere,
In patrijs regnis Rexq; Neposq; tuus.
Ergo te decuit mandato munere fungi,
Et decuit titulis abstinuisse nouis.
Sed male-sana iubet tentare aliena Cupido,
Quæ maris et terræ nescit habere modum.
Nec sat habes prauè commissas flectere habenas,
Ni prius adijcias perfidiæ arma tuæ.

Armis

Armis Ingeuones, armis tentare Liuones,
Et Litauos armis sollicitare cupis.
Ebrius insultas fortuna præcoce cunctis:
Corripis iniusta plurima castra manu.
Non exultabis, nec diu lætabere præda:
Nam tibi raptæ alys eripientur opes.
Vltor adest Deus, vltor adest Radiuilus in armis:
Isti animi frangent impia vota tui.
Cernis, vt in campis exultet læta juuentus,
Dunæ vbi gemmiferas Persia miscet aquas.
Illa tui robur prosternet militis, ipsum
Ductorem in turpem conijcietq; fugam.
Verus eram vates: viden' vt Radiuilus in armis
Fulminet, et stygijs munera mittat aquis?
Nil tua quòd proles, nil quòd cognominis esset,
Nil equitum, ac peditum millia multa juuant.
Heu, quantum Sueci Lituanus sanguinis ensis
Hausit! quot gelidæ corpora missa neci!
Persta sanguineas, quis non miserabile dicat?
Dunæ indignanti reddere visus aquas.
Testis virtutis Litauæ Kokenhausia rupes,
Testis et opprobrij Karolisone tui.
Scilicet amplexa est alis Victoria lætis,
Raduiliumq; Ducem, Raduiliiq; manum.
At te, qui pedicas Litauis, manicasq; parabas,
Dedecus æternum jussit habere Deus.

 HACTE-

HACTENVS
EPITOME RERVM GESTARVM.
SEQVVNTVR
EXEQVIALIA MONVMENTA
EIDEM PRINCIPI SCRIPTA.

AD TRISTISSIMVM NVNTIVM
DE MORTE ILLVSTRISS. PRINCIPIS HEIDELBERGAM ALLATVM.
ΑΥΤΟΣΧΕΔΙΩΣ.

DVm parat in Patriam reditum, iungitq; iugales,
Christophorus Patriæ Duxq; decusq; suæ,
Vana Superstitio crispos laniata capillos
Ingemit, & Mortem supplice voce rogat.
Aut truncum, soror, aut ramum succide nocentem:
Namq; ab vtroq; mihi bella parantur, ait.
Excipit hæc auida Mors nescia flectier aure,
Infligitq; ferox vulnus vtriq; graue.
Et rapit hinc Patrem, hinc Natum implet luctib', vnde
Mors ridet, ridet vana Superstitio.
Frustra ridetis: nec Natum frangere luctus,
Nec Nomen poterit Mors abolere Patris.

INSCRI

INSCRIPTIO LABARI.

BIrzarum Princeps, quem quondam maxima vidit
Vilna Palatinum, Litauorum Ductor in armis,
Christophorus Radiuil, tumulo requiescit in isto.
Qualis Dux fuerit, quali & virtute decorus,
Si non displiceat paulùm subsistere, nosces.
Sincere coluit, quoscunq; agnouit amicos.
Cum Bellona suos ipsum raptaret ad vsus,
Regibus & patriæ studiumq; fidemq; probauit.
In cuius castris, rigidis nondùm vtilis armis,
Sub Patris imperio iuuenis præludia fecit.
Post, quod mirere, abs ipsis iuuenilibus annis,
Ad capitis canos, adq; vltima limina vitæ,
In bello constans ipsum fortuna secuta est.
Nam sub Iustitiæ, & Diuini numinis alis,
Nec cladem infaustam perpessus ab hoste, nec vnquã
Commissas belli infelix tractauit habenas.

ILLATVS CRYPTÆ TEMPLI VIZVNENSIS VI. EID. APRIL.
A. D. M. DC. IV.

INSCRI-

INSCRIPTIO TABVLÆ ARGENTEÆ.

CONDITVM EST IN HAC TVMBA CORPVS ILLVSTRISS. PRINCIPIS CHRISTOPHORI RADZIVILII, DVCIS IN BIRZE ET DVBINKI, PALATINI VILNENSIS, EXERCITVVM IN M. D. L. PRÆFECTI GENERALIS, SOLECEŃ. VRZEN=DOVIEŃ. KOKENHAVSEŃ. ETC. CAPITANEI. QVI QVAMDIV VIXIT, SEMPER, ERGA AMICOS ET VICINOS INTEGERRIMVS, ERGA ÆMVLOS ET INIMICOS PATIENTISS. PATRIÆ AMANTISS. REGVM OBSERVANTISS. PACIS ET QVIETIS PVBL. STVDIOSISS. LEGVM ET LIBERTATIS PROPVGNATOR ACERRIMVS, HOSTIVM VICTOR ET PROPVLSATOR FELICISS. EXTITIT. NATVS ANNO M. D. XLVII. FEBR. IX. DENATVS VERO ANNO M. DC. III. NOVEMBR. XX. CVI TANQVAM PARENTI MERITISSIMO, IANVSSIVS EX CATHARINA PRINCIPE OSTROGIA, ET CHRISTOPHORVS EX CATHARINA COMITE TENCZYNIA, RELICTA OLIM DVCIS SŁVCIÆ VIDVA,

FILII MOESTISSIMI

H. M. PP.

In

In frontispicio Monumenti.

PERPETVITATI

INCLYTI ET PRÆSTANTISS. SACR. ROM. IMP. PRINCIPIS CHRISTOPHORI RADZIVILII DVCIS BIRZARVM ET DVBINCORVM, PALATINI VILNEŃ. EXERCITVVM IN M. D. L. PRÆFECTI GENERALIS, ETC. QVI POSTQVAM

IN AVLA

SPLENDIDE ET CVM DIGNITATE, QVA INCISOR ET POCILLATOR VERSATVS ESSET

IN REPVB.

HONORES AMPLISSIMOS, QVA VICECANCELLARIVS, CASTELLANVS ET PALATINVS GESSISET

IN BELLO

HOSTES, QVA CAMPIDVCTOR PRIMVM, POST IMPERATOR, MOSCHOS QVIDEM SEDIBVS PROPRIIS, VNA CVM MAGNO IPSORVM DVCE INTREPIDE PEPVLISSET: SVECOS VERO, MAGNA PARTE LIVONIÆ EREPTA, STRENVE REPRESSISSET ET PROFLIGASSET

DOMI SVÆ

DITIONES PRVDENTISSIME AC IVSTISSIME QVA PATERFAMILIAS ADMINISTRASSET

QVADRVPLICI CONIVGIO FELIX,

TRIVM LIBERORVM SVPERSTITVM PARENS.

IVSTVS, FORTIS, PATIENS,

MISERICORS, SINCERVS, AFFABILIS,

SEX ET QVINQVAGINTA

EXACTIS ÆTATIS SVÆ ANNIS,

TANDEM

HOC IN MONVMENTO,

QVIEVIT.

C

In auersa parte Monumenti.



DIALOGVS HOSPITIS ET MVSÆ.

H. Dic mihi, Musa, quibus decoratus moribus Heros:
Et quibus instructus dotibus iste fuit?
M. Aspice quadrifidum volitanti in pectore stemma,
Qualibus inuenies fulserit ille notis.
H. Cur sese imprimis obiectat buccina triplex?
M. Nota domi & belli buccina bina fuit:
Extremam sensit duris Ecclesia rebus:
Terruit hæc ternos buccina terna viros.
H. Cur ratis immensis hûc illûc fluctuat vndis?
M. Nutantem patriam flectere doctus erat.
H. Mænibus in celsis cur celsæ, dicito, turres?
M. Summus erat gentis murus apexq; suæ.
H. Quare expers animal fellis sub naue moratur?
M. Candidus & patiens semper vt agnus erat.
H. Cur Aquila hæc secum præcelsa in nubila portat?
M. Vt venêre polo, sic redîre polum.

VARIORVM MONVMENTORVM DECAS.

MONVMENTVM PRIMVM

MEMORIÆ

ILLVSTRISSIMI DVBINCORVM ET BIRZARVM PRINCIPIS GEORGII RADZIVILI, CASTELLANI TROCENSIS, ETC.

D. O. M. S.

MONVMENTVM QVOD CERNIS, CLAVSVM TENET CORPVS ILLVSTRISSIMI SAC. ROM. IMP. PRINCIPIS DŃ. GEORGII RADZIWIŁ DVBINCORVM AC BIRZARVM DVCIS, CASTELLANI TROCENSIS, CAPITANEI MOZYRIENSIS, &c. NATVS IS PATRE NICOLAO RADZIWIŁ DVBINCORVM AC BIRZARVM DVCE, PALATINO NOVOGRODIENSI, &c. MATRE PRÆLVSTRI FOEMINA HELENA HLEBOVICIA ANNO DN. M. D. LXXIIX. POSTRID. ID. DECEMBR. POSTQVAM EX EPHEBIS EXCESSISSET, ELEGANTIORIBVS LITERIS INSIGNITER EXCVLTVS, MAGNA GERMANIÆ PARTE NON SINE FRVCTV PERLVSTRATA, MAXIMA OMNIVM CVM EXPECTATIONE, PATRIÆ VERO MAXIME, VLYSSEA PLANE PRVDENTIA, SVPRA ÆTATEM INSTRV-

STRVCTVS, CVM REDIISSET, VIX TERTIO CLIMACTERICO ANNORVM VITALIVM COMPLETO, IN ORDINEM SENATORIVM À SERENISSIMO PRINCIPE, SIGISMVNDO III. REGE POLONIÆ ALLECTVS, ET CASTELLANATV TROCORVM ORNATVS, OFFICIVM MVNERIS SVI, SVMMA MVLTORVM ADMIRATIONE PLVS VICE SIMPLICI PERFVNCTVS, RELIQVAM ÆTATIS, HEV BREVIS! SORTEM, PACIS ET TRANQVILLITATIS PVB. NEC NON RELIGIONIS STVDIIS ADDICTVS CONFECIT. MORTVVS ZYRMONIS, VBI ET VITALES PRIMVM HAVSERAT AVRAS, AN. DN. M. DC. XIII. IDIB. FEBR. RELICTA IN SVMMA ORBITATE ILLVSTRI MATRONA, CONSORTE VITÆ FIDISSIMA, SOPHIA ZBOROVIA, CVM QVA AN. XI. MEN. IV. DIES XXIIX. CONIVNCTISSIME VIXIT, PROLESQVE EX EA, QVATERNAM MASCVLAM, VNAM FOEMINEAM, NEC TAMEN LONGVM SVPERSTITES, Ô PARCARVM MALIGNITATEM! SVSCEPIT.

LESSVS.

LESSVS.

SIccine te Princeps, Superis dilecte, Georgi,
A nostris oculis Mors inopina rapit!
Siccine spem præter vis Fratrum rodere pectus
Tristitiam, & salsas fundere lumen aquas!
Siccine sunt curæ tristissima corda sororum,
Corda abitu propero dilaniata tuo!
Siccine consortis fidissima pectora vitæ
Deseris in viduo mœsta repente thoro!
Heu deuota Deo Mens, heu deuota sacrisq;
Cur properas luctu sollicitare tuos?
In nos Riphæis hostis dum fulminat oris,
Promptior & iaculis dum quatit arma Scythes.
Dum timet in patrios non ignem ferre penates,
Miles Hamaxobiis heu male pastus equis.
Fœderis obliti, firmati fœdere fratrum,
Vastant Soteris dum fera turba casas.
Atq; alij, quorum fida haud vicinia nobis,
Ficta licet pacis fundere verba solent.
At decuit patriæ collapsis turpiter ausis
Auxiliatrices supposuisse manus,
Et fulcire tuo solertia corda Senatus
Consilio, & contra nitier arte dolos.
Sed tu pertæsus, quam dat Respublica, curæ,
Secura in cælis otia lætus agis.

Scilicet

Scilicet arrisit Superis, te Mortis adire
Limina, longæuos non recolendo dies.
Ne tua vexarent præcordia dura malorum,
Neu possent oculos excruciare tuos.
Ergo, qui sæuis iactamur in orbe procellis,
Felices cineres dicimus esse tuos.

INSCRIPTIO LABARI.

GEORGIVS RADZIVIL DVBINCORVM AC BIRZARVM DVX, CASTELLANVS TROCORVM, MOZYRIENSIS ETC. CAPITANEVS, XIII. FEBR. ZYRMONIS E VIVIS SVBLATVS, XXV. IVN. HOC IN LOCO TVMVLO ILLATVS.
ANNO NAT. DÑICÆ M. DC. XIII.
SVÆ XXXV.

Conditur heic ingens ingentis gloria Gentis,
Incluta Nicoleo nata propago Patre.
Nicoleo quoq; Auo, Proaui sed nomen adepta,
Nota solo quondam, nunc bene nota polo.
Virtutis mirêre prius, num relligionis?
Nec virtute minor, nec pietate fuit.
Sidera sub degens inter lunaria, semper
Nobile Raduilidûm currere doctus iter.
Mors inhibet cursum: nam summo in flore juuentæ,
Flos cadit en juuenum, flos cadit ecce Virûm.

INSCRI-

INSCRIPTIO TABVLÆ ARGENTEÆ.

SITVS HEIC
GEORGIVS RADZIVIL DVBINCORVM ET BIRZARVM DVX, CASTELLANVS TROCORVM, CAPITANEVS MOZYRIENSIS ETC. PATRE ILLVSTRISSIMO PRINCIPE NICOLAO RADZIVIL PALATINO NOVOGRODIENSI ETC. MATRE PRÆLVSTRI FOEMINA HELENA HLEBOVICIA AN. DN. M. D. LXXIIX. XIV. DECEMBR. ZYRMONIS IN LVCEM EDITVS.
SI GENVS ET VITAM PORRO QVÆRAS,
VERE FVIT,
PRINCEPS IVVENTVTIS,
SENATORVM DECVS,
PROSAPIÆ ORNAMENTVM,
PATRIÆ EMOLVMENTVM.

D AT,

AT, Ô FLUXAM MORTALIUM SORTEM! VIX ADITUM VIRILIS INGRESSUS ÆTATIS, CURULI DIGNITATE ANNOS XII. AUSPICATO FUNCTUS, CONNUBIALI THORO TANTUMDEM FERME TEMPORIS CONCORDITER FRUITUS, DUM CURIS MORTALIUM POSTERGATIS, OMNEM CURAM CURANDIS ECCLESIARUM CHRISTI VULNERIBUS IMPENDIT, IMMORTALI ANIMO, QUO IAM PRIDEM COELUM ET COELESTIA SPIRABAT, E NATALI AULA AD COELESTEM EVOLAVIT, EXUVIASQUE MORTALITATIS HOC IN SOLO PONI VOLUIT.

VIX. AN. XXXIV. M. I. D. XX.

POSITUS IN CRYPTA TEMPLI DOKUDOVIENSIS A. D. IIX. CAL. QUINCTIL. AN. DN. M. DC. XIII.

MONU-

MONUMENTUM SECUNDUM.

MEMORIÆ

ILLUSTRISSIMÆ PRINCIPIS SOPHIÆ SLUCIADIS RADIVILIÆ, ETC.

CENOTAPHIVM.

SVBSISTE HOSPES
QVISQVIS ES
ET VIDE
MINVTA, MAGNA, SVMMA, IMA.
INVENIES
ÆTERNVM SVB IOVE NIHIL.
IMO
MOMENTO TEMPORIS
MAXIMARVM RERVM MOMENTA
SVBVERTI, EVERTI.
RERVM VERO? QVIN ADEO
REGNORVM; POPVLORVM, FAMILIARVM
DENIQVE
SINGVLORVM HOMINVM,
QVA SECLVM, QVA SEXVM.
VEL NVPER
QVAM CITO SPEM PRÆTER CORREPTA SVB AXE TRIONVM
SIDERIS ARCTOI CASSIOPEA DECVS.
SOPHIA INQVAM OLELKOVICIA
GENVS ALTO A SANGVINE REGVM
MAGNORVMQVE LITVANIÆ DYNASTARVM
PROPAGO
ILLVSTRISSIMÆ SCILICET ET ANTIQVISSIMÆ
SLVCENSIVM DVCVM
PROSAPIÆ
VNICA ATQVE VLTIMA
HÆRES.

ILLV-

ILLVSTRISSIMI BIRZARVM
AC DVBINCORVM PRINCIPIS
IN M. D. L. POCILLATORIS SVPREMI
IANVSSII RADIVILII
FIDISSIMA CONSORS:
MATRONARVM SVI SECVLI
SI
VIRTVTIS PRÆSTANTIAM
GENERIS EXCELLENTIAM
FORMÆ DIGNITATEM
FORTVNÆ SPLENDOREM
LYNCEVS SPECTES
FACILE PRINCEPS.
VTERO GRAVIS,
PVERPERIOQVE PROXIMA
INSPERATO OPPRESSA PAROXYSMO
PRÆMATVRE
HEV TENVE CLOTHVS FILVM!
MATVRO ET DVRATVRO
MOESTISSIMI CONIVGIS
CVM LVCTV
VII. ID. MART.
DENATA
ANNO
ÆRÆ CHRIST. CIↃ. IↃC. XII.
ÆTATIS SVÆ
CLIMACTERICI QVARTI
QVINCTO.

 NÆNIA.

NÆNIA.

HEv certa incerti ſemper molimina Fati!
Heu nulli expoſitum flebile mortis iter!
Non genus & proauos, non fortia facta parentum,
Non decus hæc gentis, ſed neq; mentis amat.
Non miratur opum cumulos, auriq; ſtruices:
Non curat Tyriæ mobile ſyrma togæ.
Non florem ætatis, non tempora pulcra moratur,
Non illam flectit proxima forma Deæ.
Flocci habet illuſtris ſocialia vincula tædæ,
Ridet & orbati triſtia corda viri.
Nec ſolum ridet crudelis, rodere pergit
Semideûmq; arces, ſemihominumq; caſas.
Vel modo, quàm læto ſonitu quatit improba terram,
Raduilio oſtentans rapta trophœa ſinu!
O felix animo, felix ô dotibus illis,
Quas in fæmineo corpore Iuno fouet.
Vnica Slucenſi de ſidere ſtella relicta,
Inter Lituanas gloria prima nurus:
Heroina tuo magno haud minor ipſa marito,
Quæ te de ſuperis vis inopina rapit?
Te decuit multos cum coniuge ducere ſoles,
Sortiri decuit Neſtoreoſq; dies.

Te decu-

Te decuit cenſus longùm numerare paternos,
Quêis iuuit ſocium participare virum.
Et decuit pulcra facere illum prole parentem,
Nec ſolum in vidua deſeruiſſe domo.
Nam ſi ſollicito generis ſpes certa futuri
Manſiſſet, quaterent triſtia damna minùs.
Anxia nec gemino perculſus corda dolore,
Irriguas lacrumis ſpargeret vſq; genas.
Cœlo aliter viſum: labentia ſidera cœlo,
Eſſe neget mirum quis, niſi mentis inops?
Incumbunt radijs trepidanti, & luce coruſca
Extinguunt lucem matris, & embryonis.
Tum fera criſpando falcem mors infit acutam:
Maior de ſubole, & matre triumphus erit.
Ah fugitiua ſile, mordacemq; abſtine riſum,
Exuuias geminas traxeris inde licet.
Non te perpetuo riſu indulgere licebit,
Abſterget vultus imbre madente Deus.
Non fregêre animos Herois denſa virorum
Agmina, non acies, ignea tela, minæ.
Non ferrati enſes, non horrida ſpicula ferro,
Non præſentem oculis Mors minitata necem.
Non fregêre illum morborum examina lecto:
Num frangent luctus ſors inimica thoro?
Ergo dum vires it fractum Principis, atra
In ventum vires dat Libitina ſuas.

MARMO

MARMORIS INSCRIPTIO.

ÆVITERNITATI S.
MAGNORUM LITUANIÆ DUCUM
SURCULO,
SEU VERIUS GEMMÆ,
SOPHIÆ OLELKOVICIÆ,
PATRE, AVO, PROAVO
GEORGIO,
ABAVO SIMEONE, ATAVO MICHAELE,
IN SLUCKO ET KOPYL DUCIBUS,
TRITAVO OLELKONE
VLADIMIRI KIOVIÆ DUCIS,
IAGELLONIS REGIS POLONIÆ FRATRIS,
FILIO.
OLGERDI MAGNI DUCIS LITUANIÆ
NEPOTE
GEDIMINI PRONEPOTE
VITENIS ABNEPOTE:
MATRE VERO BARBARA,
NICOLAI KISSCÆ
PALATINI PODLACHIÆ FILIA
SATÆ.

IANUS

IANUS RADZIVIL, DUBINCORUM
AC BIRZARUM IN SLUCKO ET KOPYL
DUX, MAGNI DUCAT. LIT. SUPRE-
MUS POCILLATOR, ETC.
MOESTISSIMUS CONIUX
CONIUGI DESIDERATISS.
FOEMINÆ ET GENUS ET FORMAM,
NEC NON VIRTUTEM,
ÆVO SUO CLARISSIMÆ
NON ABSQUE LACRUMIS
H. M. P.
VIX. AN. XXV. M. X. D. VI.
IN MATRIMONIO,
AN. XI. M. V. D. IIX.
OB. AN. DN. M. DC. XII.
MENS. MART. D. IX.

APPOSITA MAIORIBUS SUIS
SLUCIÆ IN MONASTERIO.
B. VIRGINIS CHRISTIPARÆ
A. D. VI. CAL. IUN.
AN. DN. M. DC. XII.

E MONU-

MONVMENTVM TERTIVM.

MEMORIÆ

IANI RADIVILI, ETC.
INFANTIS LEPIDISSIMI.

MORTV-

MORTVORVM SVSCITATORI S.

ITE MORTALES
ET
THITONIOS VOBIS
MAGNA SPE EBRII
SPONDETE ANNOS.
ECCE
IANVS RADZIVIL
INFANS LEPIDISSIMVS
SPES GENTIS
COLVMEN FAMILIÆ
VOLVPTAS PARENTVM
VIX
IV. NON. OCTOBR. AN. CIϽ. IϽC. IIX.
VITAM INGRESSVS,
MOX
IV. CAL. FEBR. AN. CIϽ. IϽC. IX.
PROFECTVS E VITA.
QVEM
GEORGIVS RADZIVIL DVBINCORVM ET BIRZARVM
DVX CASTELLANVS TROCENSIS, ETC.
ET
SOPHIA DE ZBOROW RADZIVILIA ETC.
PARENTES,
TER ORBI, TER LACRVMOSI,
TERTIVM LIBITINÆ QVÆSTVM,
NON SINE QVESTV
H. M. PP.

TVMV-

TVMVLVS.

NVmquid in innocuas tantùm ſæuire laboras
Parca animas, nullis parcere docta quidem?
Tandem dis triplici ſpolio, triplicata faceſſe
Turba, nec vlterius triſtia fila ſeces.
Sat terris, cœliſq; datum: tria munera cœlo,
Et tria ſunt gelido pignora miſſa ſolo.
Clotho rapit primis ſoboles quæ nata ſub annis,
Quæq; maritalis teſtis amoris erat.
Inuidit Lacheſis prædam furibunda ſorori,
Mox genitam immiti vulnere ſternit humi.
Atropos exanguis, quæ legem ſanguinis vllam
Non tenet, en ſubitò tertia dona rapit.
Ah dilecte Deo, dilecte parentibus infans,
Quo fugis? an rapidus flammea tecta petis?
Nempe vocant te caræ animæ, fraterq; ſororq;,
Quêis iam colludis gratus in Arce Deûm.

VIX. M. III. D. XXIV.

MONV-

MONVMENTVM QVARTVM.

MEMORIÆ

NICOLAI RADZIVILI, ETC.
INFANTIS DESIDERATISS.

SERVA-

SERVATORI S.

QVID NON MOBILE SVB COELO?
QVID NON MVTABILE SVB LVNA?
QVID NON MORTALE IN ORBE?
QVID NON CORRVPTIBILE IN TERRA?
VNVM EXTRA OMNIA NVMEN.
AT MORTALIVM QVIVIS ET VBIVIS
MOVETVR, MVTATVR, MORITVR, CORRVMPITVR,
ILLE SENEX SIT, VIR, IVVENIS, PVER, ATQVE PVELLVS,
QVALIS, EHEV, NICOLEOS RADIVIL HIC,
PRIMVM PARENTVM GAVDIVM,
PRIMVM CORDOLIVM.
POSTRID. EID. SEPTEMBR. AN. CIↃ. IↃC. X. NATVS,
VI. CAL. MART. AN. SEQVENT. DENATVS.
QVEM E VITA INVITIS RAPTVM
CHRISTOPHORVS RADZIWIL DVX BIRZARVM
ET DVBINCORVM ETC. ET
ANNA DE GENTE KISSCARVM RADIVILIA ETC.
PARENTES MOESTI QVIDEM
SED NON AMPLIVS INVITI
PRIMITIAS CHRISTO
RECEPTVRI,
D. D. Q.

Spes Patris & Patriæ primùm, & solatia Matris
Nicoleos infans, mox lacrumæ & gemitus:
Prima maritalis lætissima pignora tædæ,
Hoc teneros artus condidit in tumulo.
Condite vos lacrumas vnâ, gemitusq; parentes:
Non sterili vobis semina iacta solo.
Ambiet ille olim vestra vlnis colla tenellis,
Rursus & in vestro gestiet ille sinu.

VIX. M. V. D. XII.

MONV-

MONVMENTVM QVINCTVM

MEMORIÆ

STANISLAI RADZIVILI ETC.
INFANTIS FESTIVISSIMI.

NATV-

NATVRÆ INSTAVRATORI S.

QVÆ PROPAGINIS SPES
Ô HOSPES?
QVIS SOLATIO LOCVS,
POSTQVAM QVINCTVM DIVINÆ BENIGNITATIS IN MATRIMONIO TESTEM, MALIGNVM PARCARVM STAMEN EX SINV PARENTVM ERIPVIT? ET TAMEN
GEORGIVS RADZIVIL DVBINCORVM AC BIRZARVM DVX, CASTELLANVS TROCORVM, ETC.
ATQVE
SOPHIA DE ZBOROW RADIVILIA, ETC.
NEQVE COELESTIB. CONTRAVENIENTES NVTIB. NEQVE TOT FATIGATI LVCTIB. STANISLAVM RADZIVIL FESTIVISS. INFANTVLVM XXI. DEC. AN. M. DC. XI. IN LVCEM EDITVM, BREVI POST XXVI. FEBR. AN. SEQ. ABS LVMINIB. RAPTVM, MOERENTES QVIDEM, SED MINIME MVRMVRANTES PARENTES, TVMVLO INFERRI VOLVERVNT.

Radiuilij Soboles, & quinctum nata propago,
Hêic præmaturo funere rapta iacet.
Tempus erat natis immites parcere Parcas,
Tempus erat rapidas abstinuisse manus.
Sed quia sic Superis visum, haud inuita Parentum
Pectora, relliquias has quoq; dant Superis.
VIX. M. II. D. IV.

MONV-

MONVMENTVM SEXTVM.

MEMORIÆ

CATHARINÆ RADIVILIDIS, ETC. INFANTIS BELLISSIMÆ.

F

SOTERI

SOTERI S.

CATHARINÆ RADIVILIDI
INFANTI MELLITISSIMÆ
NEC NON INSIGNES
QVA CORPVS, QVA ANIMVM
DOTES POLLICITÆ.
ANNI M. DC. VII. MENSIS VII. DIE IX.
VITAM ADEPTÆ,
NON MVLTO POST
ANNI M. DC. IIX. MENS. PRIMI DIE XXIX.
VITA FVNCTÆ
GEORGIVS RADZIVIL DVBINCORVM ET
BIRZARVM DVX, CASTELLANVS
TROCORVM, ETC. AC
SOPHIA DE ZBOROW RADIVILIA, ETC.
PARENTES LVCTVOSISSIMI
H. M. PP.

Vita quid eſt? gelidæ trepida expectatio Mortis:
Mors autem? vitæ dulcis origo nouæ.
Dum moritur caris Catharina parentibus ergò,
Mox immortali naſcitur illa Deo.

VIX. M. VI. D. XX.

MONV-

MONVMENTVM SEPTIMVM.

MEMORIÆ

VIRI CLARISSIMI
ANDREÆ VOLANI, ETC.

 D.O.M.

D. O. M. S.

QVIN GRESSVS GLOMERARE PERGIS
O VIATOR
FIXVS IGNOTI TANQVAM
AD TVMVLVM LVMINA?
VOLANVS HIC ANDREAS SITVS.
SAT DIXI. ABI. HÆRES?
TIBIN' IGNOTVS,
TOTI EVROPÆ MAXIME COGNITVS?
VOLANVS INQVAM ARCTOI SIDVS ORBIS
CVI
MAGNA POLONIA ORTVM DEDIT
MAGNA LITVANIA HOSPITIVM EXHIBVIT
MAGNA GENS RADIVILIA DOMVM PRÆBVIT
MAGNIS VERO INGENII PRÆSIDIIS SVFFVLTVM
REX
SECRETIS CONSILIIS ADMISIT.
RESPVBLICA
IN IVDICIIS REGIAS VICES OBIRE VOLVIT.
PATRIA
IN COMITIIS GENERALIBVS LEGATVM AVDIVIT.
ECCLESIA
SANCTARVM CONGREGATIONVM PRÆSIDEM SPECTAVIT.
QVAM PROPTER
IN HOSTES LINGVAM ET CALAMVM
DEXTRO

DEXTRO SEMPER APOLLINE TORSIT.
TANDEM ÆTATE GRAVIS,
AT NVLLI, NISI IMPROBIS, GRAVIS,
LENITER IN SVO BIVTISCANO
VI. EID. IAN. AN.
DOMINICÆ NATIVITATIS. cIↄ. Iↄc. x.
SVÆ. LXXX.
DECESSIT.

INgenio, & magnis virtutibus orbe Volanus
Notus in Eoo, notus in Heſperio.
Dogmata Tarſenſis ſurrecta dum bibit aure,
Romulidas pauit queîs pius ille ſuos:
Spiritus incenſus flamma flammantis Olympi,
In tenues auras tecta peroſus abit.
Corporis exuuijs tandem, ſceletoq; relictis,
Deſeruit cultam luſtra bis octo ſpecum.
Sancta Anima, in patrijs non partes Iudicis oris,
Non mage Legati ſtrenua obibis opus.
Non ſecretorum celebrâbere conſcia Regis,
Nec ſacra Turba tuos audiet vlla ſonos.
Non magis Auſonios rabulas, maſſæq; patronos,
Punges diuini cuſpide prompta ſtyli.
Iſthic iam veneranda manes, altaria ſpectans,
Et brauium expectans vltimum ab ore Dei.

CONDITVS
IN SVO BIVTISCANO
A. D. XIV. CAL. MART. cIↄ. Iↄc. x.

MONVMENTVM OCTAVVM.

MEMORIÆ

NOBILISSIMÆ MATRONÆ
BARBARÆ OSOLINIÆ ETC.

D. O. M.

D. O. M. S.

BARBARÆ OSOLINIÆ EX NOBILISSIMA STRZEZOVIORVM ET SIENIENIORVM FAMILIA NATÆ, MATRONÆ INSIGNIB. MENTIS ET CORPORIS DOTIB. INSIGNI, AC PRÆCLARAS QVASQVE SVI SECVLI FOEMINAS FACILE ADÆQVANTI, NON PAVCAS ANTEEVNTI: QVÆ MARITI CARISSIMI VSV, VISVQVE PER MORTEM ORBATA, POSTQVAM
ANNORVM QVINQVE ET MENSIVM SEX
SPATIVM HONESTISSIME
TRANSEGISSET,
DEO CARA,
COELITIBVS GRATA
AMICIS INVIDIOSA
LIBERIS DESIDERABILIS
AD SVPEROS COMMIGRAVIT.
LIBERI MOERENTES
PARENTI MERITISSIMÆ
H. M. PP.
VIX. AN. XLV.
OB. IV. ID. IVN. A. D. M. D. XCI.

VERBA

VERBA MORITVRÆ.

IAm mox percurret ſextum orbẽ Hyperione natus,
Vt mea ſunt viduo membra relicta thoro.
Quanta mala exhauſiſſe putas me tempore tanto,
Quotq; cor arroſum ſollicitudinibus?
Orba domum fulcro orbatam dum ſola laboro
Fulcire, atq; æquis arbitrijs regere.
Dum ſatago, vt nati caſtarum dia Dearum,
Pallados atq; Aretes caſtra ſubire queant.
Cura meum pectus quàm multo exercuit iſta
Tempore! quàm ſumptus res tulit iſta graues!
Dum quæro natas vinclo vincire iugali,
Quantus erat generos repperijſſe labor!
Has ego tot curas, & tot perpeſſa labores,
Haud mœrore tamen libera corda gero.
Nam venit en luctus, luctus qui prægrauat omnes,
Furuaq; Perſephones tecta ſubire iubet.
Maximus è natis maleſano percitus œſtro,
Deſerit, heu, patrio ſacra probata Deo.
Deſerit, heu, in qua eſt eductus, Relligionem:
Deſero ego & terram, & terrea cuncta ſimul.

TVMVLATA NIESSOVIÆ
IN TERRA LVBLINENSI,
XII. CAL. QVINCTIL. cIↄ. Iↄ. XCI.

MONV-

MONVMENTVM NONVM.

MEMORIÆ

CLARISSIMÆ FOEMINÆ
ELISABETÆ TVRSCIÆ, ETC.

G D.O.M.S.

D. O. M. S.

ELISABETÆ TVRSCIÆ, EX NOBILISSIMA STRZEZOVIORVM ET SIENIENIORVM GENTE PROFECTÆ FOEMINÆ TAM ANIMVM QVAM CORPVS INSIGNITER DOTATÆ:
QVÆ, QVAM DIV VIXIT
NVMINI
MARITO
FILIO
PRIVIGNO
DOMESTICIS
EXTERIS
QVA POTVIT
RELIGIOSAM REVERENTIAM
OBSEQVIOSVM AMOREM
SOLICITAM CHARITATEM
MATERNVM AFFECTVM
BLANDAM SEVERITATEM
OFFICIOSAM COMITATEM
EXHIBVIT.
MVLTASQVE DVPLICIVM TÆDARVM, ET COMPLVRIVM MORBORVM MOLESTIAS AC DIFFICVLTATES PATIENTER TVLIT:
CVM SVMMO BONORVM DESIDERIO,
MARITI VERO ET FILII VNICI
LVCTV, E VIVIS SVBLATÆ:

IOHANNES TVRSCIVS CONIVX
CONIVGI
HIERONYMVS CZYZOVIVS FILIVS
MATRI
B M.
H. M. PP.
VIX. AN. XLII.
OB. CAL. MART. AN. DN.
cIɔ. Iɔ. XC.

VMBRA MORTVÆ.

NVnc in me, Morbi, vires conuortite vestras,
Nunc in me tua, Fors, proijce tela ferox.
Dum vixi, potui Morborum frangere vires,
Et potui Fortem sustinuisse Deam.
Quid Morbi exanimæ, quid Fortis tela nocebunt,
Cui forte & præsens Mors tulit auxilium?
At te magna mei pars Fili, teqꝫ Marite,
Et fletu, & lacrumis abstinuisse decet.
Ne mihi præclaræ vos commoda munera sortis
Inuidisse mala quis male mente putet.

HVMATA NIEKRASOVIÆ
IN TERRA SANDOMIRIENSI
XI. CAL. APRIL. cIɔ. Iɔ. XC.

MONVMENTVM DECIMVM.

MEMORIÆ

PRÆSTANTISSIMÆ MVLIERIS REGINÆ BVCZYNIÆ ETC.

D. O. M.

D. O. M. S.

REGINÆ BVCZYNIÆ EX NOBILISSIMA STRZEZOVIORVM ET SIENIENIORVM DOMO ORIVNDÆ, FOEMINÆ QVA CORPORIS, QVA ANIMI DOTIBVS ORNATISSIMÆ, QVÆ VIVENS
DEVM TIMVIT,
MARITVM COLVIT,
FAMILIÆ SEDVLAM CVRAM GESSIT,
CETERIS VERO, QVÆCVNQVE HOMINES BENE, AVT DICERE POSSVNT, AVT FACERE, DIXIT, ET FECIT: MAXIMO, CVM OMNIVM BONORVM, TVM MARITI PRÆCIPVE, DOLORE ET MOERORE EXTINCTÆ,
IOHANNES BVCZINIVS
MARITVS
CONIVGI
B. M.
H. M. P.
VIX. AN. XLIIX.
OB. CAL. OCTOB. AN. CIↃ. IↃ. XIC.

 MARI-

MARITVS MARITÆ.

CVr linquens sobolem, mea lux, linquensq; maritũ,
A nostris oculis te inuidiosa rapis?
Quod si te fletus possunt, lacrumæue morari,
Et nostris iterum reddere luminibus:
Non nos vel seclum fletu indulgere pigebit,
Et mœstam lacrumis excruciare animam.

MARITA MARITO.

QVò vestræ lacrumæ? quò fletus? nempe dolorum
Ad superos rediens vexer vt igne nouo?
Cura domus, prolisq; labor, gemitusq; mariti,
Hæc me de superûm corripuère choro:
Et vos me lacrumis reuocari posse putatis?
Necquicquam: partâ malo quiete frui.

SEPVLTA BOBOVIÆ
IN PEDEMONTIO SARMATICO
XIV. CAL. NOVEMBR. M. D. LXXXIX.

MONVMENTA QVÆ VIDES
VARIIS IN LOCIS
DIVERSIS PERSONIS
A
SOLOMONE RYSINIO
POSITA

IMPRESSA SVNT
TYPIS PETRI BLASTI
LVBECÆ AD CHRONVM
IN LITVANIA
AN. DN. M. DC. XIV.
MENSE MAIO.

In funestam morte Marchionis di Ancri
in Gallia. Concini manibus

Heu lubricum aulae culmen

Hominem fortuna temere extulit haud temere
perdidit

Opes nimis amplas animo nimis angusto

Rerum potitus sui impotens

Cunctis maior qua tantum minor magnitudine

Felicitate dominandi non diu tenuit quod felicitate
serviliter teneretur

Principis amore civium odia meritus, vices non
metuens Regi metuendus

Cum emineret universis nimium notus meretur ignotus
sibi

Viri sepulcrum viator ne quaere

Necato, in partes dissecto, sepulcrum non deerat
si quod sepeliretur non defuisset

Concini tumulus

Heu rerum vices Gallicum Seianum

Regno propinquum Regi proximum

Poenitens aut fatigata fortuna destituit

Principum invidiae victima mactatur

~~[illegible]~~

~~[illegible]~~

Ut sacer homo saginatus publico Gall[...]
exspect

Ferrum expertus male qui cupiunt aurum

Regnum qui uiuus in partes secuit mortuus sec[...]
in frusta

Aequius an iudaminus

Diis sibilis inclamationibus plebs fuee[...] ins[...]
fecit

Tracto discerpto nullibi atque ubique sepultus

Eheu quam dissimili exitu claudit aulicam
fabula

O rerum uices o fata.

Hist. Polon
C, spei